

esse vlllo modo potest. neque enim natura, nec contra naturam, vel ad medium, vel à medio moueri potest. Nam motus quo recta linea feratur, ei à natura tributus nõ est, vnus enim vnus cuiusque simplicium dictus est esse. Ita erit idem quod aliquod eorũ quæ eo motu fieri diximus. Si verò contra naturam feratur, & is quo deorsum fertur sit contra naturam, is quo supera petet, naturalis erit, & si præter naturam sit iste, naturalis erit ille. Posuimus enim contrariorum quorum vnus alienus naturæ esset, naturalem esse alterum. Quoniam autem eodem & totum & pars vt tota terra & parua gleba, mouentur suapte natura, fit primùm, vt nec leuitate id corpus, nec grauitate sit præditum: aut enim ad medium natura sua, aut à medio moueri posset: deinde vt moueri non possit, ad summũ locum, nec ad infimum. Neque enim fieri potest, vt ipsum aut pars vlla illius alio motu natura aut contra naturam cieatur, præsertim cum eadem sit totius & partis ratio. Eodemque modo consentaneum est illud ipsum & ortus expers esse & interitus & accretionis, & commutationis, quòd omnia quæ oriuntur, ex contrario & subiecto quodam orientur: & contra, subiecta aliqua materia, & in contrarium occidant: quemadmodum in primis disputationibus dictum est. At contrariorum motus etiam sunt contrarij. Si ergo huic nihil contrarium esse potest, propterea quòd motu etiam qui in orbem circumque fertur, motus nullus aduersetur, rectè natura id quod originis & interitus expers futurum erat, ex misse ex contrariis videtur: quandoquidem ortus & interitus in contrariis cernuntur. Quinetiam omne quod augetur, augetur: & quod decrescit, decrescit eius, quod eiusdem est generis & accessione, & in materiam abscensione. At nihil est, ex quo hoc habuit originem. Quòd si est & accretionis & interitus expers, eiusdem etiam intelligentiæ est, idem etiam expers esse commutationis existimare. Nam cum sit commutatio motus ac mutatio qualitatis, & ex qualitatibus habitus affectionesque vt valetudo & morbus, nõ sine passionum mutationibus existant: quæ autem naturalia corpora passionibus mutantur, augeri ea omnia & decrescere cernamus, veluti & animantium corpora eorumque partes, & illa eorum quæ gignuntur è terra, itémque elementorum: profectò si rotundum corpus nec accessionem vllam habere potest, nec discessionem, consen-